DE PSEUDARTHROSI VEL ARTICULATIONE SUPERNUMERARIA ET NOVA EIUS CURATIONIS METHODO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LEOPOLDUS PAPE

LEMGOVIENSIS.

Opponentibus:

A. BUSCHOFF, med. et chir. Dr.

A. SCHUNK, med. et chir. Dr.

F. JUERGENS, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PRAECEPTORI

OPTIME DE SE MERITO

JOAN. FR. DIEFFENBACH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, EIUSQUE PROFESSORI IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, MEDICO SUPREMO IN NOSOCOMIO CARITATIS BEROLINENSI, PRAEFECTO SCHOLAE FAMULANTIUM AEGROTIS, ORDINUM INCLYTORUM BORUSSICI DE AQUILA RUBRA, RUSSICI ST. VLADIMIRI, SUECICI VASANI, MAGNIDUCATUS BADENSIS DE LEONE ZARINGENSI, HESSICI LUDOVICIANI EQUITI, COMPLURIUM ACADEMIARUM ET SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

ET

FAUTORI SUMMO

CAROLO PIDERIT,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, MEDICO PRINCIPIS SERENISSIMI LIPPIAE ILLUSTRISSIMO, EIUSQUE CONSILIARIO AULICO, DETMOLDIENSIUM MEDICO, CHIRURGICO ET OBSTETRICATORI PRACTICO SPECTATISSIMO, FONTIS SALUTARIS MEINBERGENSIS MEDICO PRIMARIO, PLURIMAR. SOCIETATUM MEDICARUM SODALI ETC. ETC.

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA CUM OBSERVANTIA

SACRAS ESSE VOLUIT

LEOPOLDUS PAPE.

Sub pseudarthrosis nomine (articulus anomalus, articulatio praeternaturalis, articulatio analoga; fausse articulation, accidentelle, contre nature) intelligimus tam modum jungendi ossis fracti sine solido callo et remanente mobilitate contra naturam, quam novam articulationem, quae in extremitate ossis luxati formatur.

Praestat tamen, accuratius distinguere et articulationem praeternaturalem post fracturam articulationem supernumerariam nominare, eam autem, quae post luxationem formatur, articulationem analogam, quia junctura mobilis ossium naturali articulorum formationi magis minusve similis est et in locum articuli naturalis succedit.

Liceat mihi pseudarthrosin a fractura proficiscentem, articulationem supernumerariam distinctius describere et postea novam curandi methodum exponere.

Ut frequentia fracturarum situm, formam et functionem ossis sequitur (ut fracturae saepius in ossibus occurrunt, quae in corporis superficie sita sunt, velut in clavicula, quam in iis, quae musculorum multitudine ab externorum casuum effectu defenduntur; ut pro forma longa

ossa cylindracea et pro functione ea magis fractionibus exposita sunt, quae sola membri cujusdam fulcrum efficiunt, velut apud humerum et femur, et si duo ossa membro data sunt, majus, velut radius et tibia), ita etiam frequentia articulationis supernumerariae, quae osse fracto efficitur. Attamen apud homines viventes articulationem supernumerariam in ossibus longis cylindraceis extremitatum saepius invenimus, quia illud malum in ceteris ossibus sine magna functionis turbatione existens rarius chirurgorum auxilium expostulat. Ceterum credideris recentiore tempore, ex quo aptissimis ligaturis et machinis fracturarum curatio valde in melius mutata est, articulationem quoque supernumerariam rariorem esse, quum illis progressibus conditiones et causae illius mali remotae esse videantur. Nihilominus saepe etiam hunc infelicem fracturarum exitum invenimus, quem impediendum et amovendum chirurgia ex antiquissimis temporibus curavit.

Diagnosis. Exempla probant, articulationem supernumerariam aut multos annos sine magna functionis turbatione existere posse, aut paullatim natura sanante et exercitatione ita posse corrigi, ut omnibus symptomatibus deficientibus diagnosis non desideretur. Singulorum articulationis supernumerariae exemplorum inter se comparatio et accurata exploratio anatomica magnam varietatem exhibet signorum pathognomonicorum, temporis inde ab osse fracto usque ad articulationem supernumerariam natam prae-

terlapsi, statuum morbosorum illud malum foventium et numeri pseudarthrosis.

Quod attinet ad signa pathognomonica, invenimus ea, quae abesse et adesse possunt, nempe: 1) dolores in membri motu et crepitationem spuriam et quae articulationi supernumerariae omnino accedunt, ut membri forma magis minusve mutata, si membrum moves et si non. 2) Mobilitas praeternaturalis et inde oriens 3) Functio membri vel demta vel turbata.

Tempus ad os fractum sanandum necessarium chirurgorum experientia varie docet, quia extra curationis modum et conditiones diversae ad sanationem influunt; illo tempore destinato praeterlapso, articulationem supernumerariam formari dicunt. Ita Chelius (1) ait: Ubi sex mensibus post fracturam praeterlapsis fracturarum ossium extremitates admodum mobiles sunt, formationem articulationis supernumerariae completam habere licet. Hunc autem temporis terminum sanationi ossium fracturarum et diagnosi articulationis supernumerariae non sufficere, exemplum illud a Seerig (2) relatum probat, ubi post sex menses naturae vi ossis fracti sanatio perfecta est; neque hic casus rara exceptio judicandus est ei, qui variis naturam viis modo longis modo brevibus unum eundemque finem assequi posse non ignorat.

---

(1) Handbuch der Chirurgie Bd. I., §. 713.

(2) Dissertatio de pseudarthrosi §. 5. p. 2.

Langenbeck (1) pseudarthrosin protopathicam seu primariam et deuteropathicam seu secundariam distinguit, illam statim post fracturam formari arguens, hanc vero post fracturam dudum sanatam calli formati resorptione, sive morbis advenientibus, sive noxiis medicaminibus, balneis sulpharatis, et luis venereae hydrargyro curatione effecta.

Magni momenti ad diagnosin articulationis supernumerariae cognitio est morborum et turbationum reproductionis apud fracturas, illud malum provocantium, sive universalium, sive localium. Utraque vero causa subjectivis et objectivis symptomatibus facile cognosceretur, nisi, quod attinet ad causas locales articulationis supernumerariae, ille casus difficultates nobis praeberet in diagnosi, ubi ob musculos ossibus fractis interpositos non possumus distinguere, quomodo ossium fracturarum extremitates sitae sint et utrum massa interstitialis ab iis producta sit, nec ne. M. Earle talem casum cognovit dolorum vehementia, quum reductionem tentaret, et haec causa, et quod statim post factam fracturam crepitationem extremorum ossium non audimus, certissime illum casum nobis ostendet.

Numerum articulationum supernumerariarum spectantes, invenimus articulationem simplicem, duplicem, compositam et combinatam, prout unum tantum os aut semel aut bis fractum, articulatio autem simplex aut duplex fuerit, aut plures

---

(1) Neue Bibliothek für Chirurgie und Ophthalmologie Bd. I., p. 90.

articulationes in duobus ossibus diversis, in una eademque parte aut duabus partibus diversis natae fuerint, ut hoc non raro accidit in ossibus antibrachii, cruris et in costis.

De anatome pathologica articulationum supernumerariarum multae observationes nos docuerunt; calli formationem, ut Brechet (1) et Chaussier (2) observarunt, non fieri, inflammationem ossium extremorum existere, intumescentiam et emollitionem eorum resorptione ossium particularum, cavum medullae expleri, ossis fracti extrema cartilagine obduci cum condensatione partium mollium, quae cartilaginum superficies se invicem attingentes inter se conjungunt; aut calli formationem incipere, sed in gradu inferiore remanere, aut callum formatum obnoxiis medicaminibus vel syphilide accidente et ejus curatione per hydrargyrum partim resorberi, pseudarthrosin deuteropathicam secundum Langenbeck, ut supra commemoravi, formari; aut denique musculos degeneratos et condensatos juncturam fragmentorum formare, id quod saepius in ossibus sibi invicem superpositis animadvertitur. Quum callus formandus in gradu inferiore remanet, aut substantiam fibroso-cellulosam, cujus formatio a vasis partium mollium proficisci videtur, aut substantiam

---

(1) Recherches historiques et experimentales sur la formation du cal. Paris 1819.

(2) Bulletin des sciences pour la société philomatique. Paris an VIII. p. 97.

fibroso - cartilaginosam, cartilaginibus fibrosis similem invenimus.

Aetiologia. Quum experientia doceat, fracturas ejusdem dignitatis et in conditionibus externis quasi eisdem, licet gaudeant eadem socia cura, non nisi articulatione supernumeraria formata sanari, concedendum est, ut ad alios morbos, sic ad hunc processum morbosum praedispositionem adesse. S. Cooper (1) narrat, articulationem supernumerariam in juvene robusto post factam resectionem fragmentorum humeri, denuo maxime socia cura rejecta, se formasse. Frequentissima autem causa articulationum supernumerariarum et turbata calli formatione et actione vitae reproductivae impedita adducitur. Huc referendae sunt: aetas provectior, constitutio debilis, status morbosi vegetationem deprimentes, derivantes, ut paralysis, debilitas universalis, excretiones colliquativae, dyscrasiae, (syphilis, arthritis, dyscrasia mercurialis, carcinomatosa, scorbutus); coeli temperiem et anni tempus et motum intempestivum formationem articulationum supernumerariarum efficere Larrey (2) inter milites Francogallicos in Syria observavit.

Cura articulationum supernumerariarum duplex est, cura palliativa et radicalis. Cura palliativa, aegroti molestias quodammodo lenire, imo vero membrum facilioribus functioni-

(1) Handbuch der Chirurgie Bd. II. 1820. S. 80.

(2) Dictionnaire de médecine et de chirurgie pratiques „Articulation anormale“ Tom. III. Paris 1829.

bus perficiendis aptum reddere tendens, ferulis instituitur, quibus fracturae extrema contineantur.

Optimam hujus apparatus structuram Ballifio (1) debemus, qui saepius eum in sanandis articulationibus supernumerariis cum successu bono adhibuit; applicatio autem apparatus ibi solummodo locum habere potest, ubi articulatio supernumeraria nondum perfecta est. In casibus vero perfectis et inveteratis, aut occurrente obliqua ossis fractura, aut in extremitatibus inferioribus omnino ejusmodi aegrotantibus, cura radicalis praeferenda est.

Curae radicalis est massam articulationis supernumerariae interstitialem, seu sit calli formatio incompleta, seu sit substantia muscularis degenerata, aut omnino removere aut in genuinum callum transformare. Quum autem callus inflammatione solummodo produci possit, hunc processum ad sanandam articulationem supernumerariam provocare omnium temporum chirurgi contenderunt.

Antiquissima operandi methodus in finem supra dictum instituta, Celso (2) teste, exasperatio fuit, extremorum ossium.

Haec operandi methodus, quam Hunter, Hutchinson (3), Mott (4) et multi alii sine

---

(1) Troschel de pseudarthrosi. Dissert. inaugural. Berolini 1826.

(2) De medicina Lib. VIII., Cap. X., Sect. VII.

(3) Observations in surgery. London 1826. edit. 2.

(4) New-York medical and surgical register. Vol. II., pag. 376.

laeto successu exercuere, in iis tantum casibus locum habere potest, ubi articulatio supernumeraria non est perfecta; in articulationibus supernumerariis inveteratis irritatio non sufficere mihi videtur.

Exempla sanationis (hac operandi methodo effectae) quae relata invenimus, articulationes supernumerarias perfectas fuisse non probant; e contrario si temporis spatium, quo evolutae dicuntur, respicis, suspicari licet, eas modo nascentes soloque apparatu Ballifii sanabiles fuisse. Ita in articulatione supernumeraria, quam Cittadini (1) feliciter curavit, fractura duos solummodo menses duraverat. Sanson (2) se aegroto, qui plus annum fractura femoris cum imminuta naturali longitudine laborans, jam diu insanabilis relictus fuerit, membrum aegrotum apparatu extensorio Dessaultii ad naturalem longitudinem reduxisse asserit; inde post sex menses, reliqua curatione alii chirurgo commissa propter suspensam extensionem membrum iterum brevius factum, fracturam autem sanatam fuisse. Reductionem extremorum ossis fracti in hoc casu calli formatione aut concretione non praegressa sanationem effecisse Sanson opinatur; verisimilius tamen videtur, parcam concretionem aut calli depositionem, extremis ossis fracti in priorem locum regressis, reductione adauctam fuisse.

---

(1) Omodei, annali universali di Milano. Marzo 1826. p. 415. et seq.

(2) Dictionnaire de médicine et de chirurgie pratiques, l. cit.

Illa opinione articulationis supernumerariae exasperatione extremorum ossis fracti sanandae innisus, Hunter, ubi articulatio supernumeraria in extremitate inferiore occurrebat, membro ferulis adstricto, aegrotum incedere jussit. Ceterum de felici vel infausto eventu relationes deficiunt.

Alii chirurgi vesicatoria, frictiones irritantes in cutem fracturam tegentem sine successu prospero applicarunt.

Arabes scarificationem et rasuram ossis exercuerunt, methodum illis temporibus non solum saepe vanam, sed etiam mortem adducentem. Incisione facta, ossis fracti extrema acutis instrumentis radentes vulnerabant, ut hac ratione inflammationem reunioni necessariam provocarent. Haec operandi methodus ob lethalem exitum rejecta et vituperata (Guido v. Chauliac (1) de mortuo post hanc operationem: »melius, inquit, fuisset sapienti vivere cum claudicatione, quam in talibus torturis mori«) recentiore tempore chirurgos non impedivit, ne novam illi similem operandi methodum factitarent. — Resectionem puto extremorum ossis fracti in articulatione supernumeraria, quam White (2) primus proposuit et ipse postea fecit. Hic, postquam incisionem usque ad ossis fragmenta penetrantem, nervos et vasa evitans, fecit, deinde ossa extrema a partibus mollibus adhaerentibus, separata et e vulnere extrorsum flexa, partibus

---

(1) Chirurgia magna. Venetiis 1498. p. 45.

(2) Cases in Surgery. London 1770.

mollibus subjacentibus ligno vel corio suffultis, serrae ope resecuit.

Successu conaminum ejus moti multi celeberrimi nostri temporis chirurgi idem operandi genus receperunt, et Boyer (1), Cittadini (2), Cline (3), Fricke (4), Inglin (5), Langenbeck (6), Larrey (7), Long (8), Physik (9), Richerand (10), Rowland (11), Vignerie (12), resectionem partim fausto, partim infausto eventu fecerunt. Dupuytren unum solummodo ossis fracti extremum resecans, quia sine periculo laesionis vasorum dignorum et nervorum alterum extrorsum flectere non potuit, inveteratam femoris fracturam sanavit. — Quum autem resectio magnum vulnus expostulet et mortem ipsam afferre possit, mihi

---

(1) Traité des maladies chirurgicales Tom. III., p. 102.

(2) L. c.

(3) Cooper's Handbuch der Chirurgie. 3te Lief. S. 85.

(4) Magazin der ausländ. Literatur. Jan. Febr. 1827.

(5) Edinburgh med. and surgical Journal. Vol. I. October.

(6) Neue Bibliothek. Bd. I., H. I., S. 95.

(7) Mémoires de chir. militaire. Tom. II., p. 132.

(8) Cooper's Handbuch der Chirurgie l. c.

(9) Medical Repository Vol. I. 1804. New-York.

(10) Nosographie chirurg. Tom. III., p. 39. edit. II.

(11) Med. chir. Transactions Vol. II., p. 47.

(12) Larrey, Mémoires etc. etc. l. c.

videtur haec operatio tantum instituenda esse post reliquas omnes operandi methodos frustra adhibitas, et in ossibus magis in superficie jacentibus. Tum osteotomo, ab Heynio excogitato, quia fragmentorum extrorsum flexionem supervacaneam reddit, optime uti possis.

Aliud remedium sanandae articulationis supernumerariae etiam Whitio debemus. Hic quum in operatione resectionis cruris extremum inferius hujus ossis denudare non posset, ut resecaret, causticum (butyrum antimonii) ossi admovit, et per exfoliationem post breve tempus exoptatam concretionem vidit. Henry Earle et Astley Cooper Whitium haud feliciter imitati sunt.

Ceterum Ollenroth (1) spiritu nitri fumante, et Lehmann novissimo tempore butyro antimonii extremo ossis fracti adhibito, articulationem supernumerariam sanarunt. Rhea Barton (2), medicus Americanus, qui experientia edoctus est, setaceum, (de quo inferius loquemur) inflammationem sufficientem non efficere et sustinere, fracturam sedecim mensium Kali caustico tribus habdomadibus curavit, sed difficultatem causticum in ossium extrema afferendi et ejus in locum destinatum effectum moderandi non omittit, et cauterium actuale proponit. Ob hanc rem et quia in ossibus pro-

(1) Vergl. Bernstein 280.

(2) The Philadelphia Medical Recorder. Vol. VII., p. 433.

funde jacentibus laesio magna partium mollium fieri debet, etiam haec methodus non instituenda est, nisi articulatio supernumeraria in corporis superficie sita est.

Remedium majoris dignitatis setaceum fuit, quod facilitate applicationis et efficacitate praecipue sese commendaverat.

Winslowius (1) fuit, cui honor debetur setaceum jam saeculo praeterlapso ad sanandam articulationem supernumerariam proposuisse; Physico autem, chirurgo Americano, illam operationem initio hujus saeculi primum fecisse. Chirurgi Franco-gallici plures, ut Boyer, Richerand, Sanson et Begin inventum illud Percyo adscribunt, quem autem alii chirurgi Franco-gallici dicunt hanc operationem fecisse ad removenda ossicula defissa (abgesplitterte), non solo consilio, ut articulationem supernumerariam sanaret, quam ob rem et illi chirurgi Physico illud inventum vindicant. Roux (2) ait: Depuis quelques années un chirurgien de Philadelphie, Physic, a conçu l'ingenieuse idée du traitement de la pseudarthrose par l'intreposition et le sejour momentané d'un seton entre les bouts de l'os non consolidé, pour y exciter l'inflammation adhésive. Cette opération n'a été pratiquée, que je sache du moins, par aucun chirurgien français.

---

(1) Tode, arzneikundige Annalen. Kopenhagen 1787. S. 65.

(2) Relation d'un voyage fait à Londres an. 1814. Paris 1815. p. 193.

Praeter Physicum multi chirurgi hac operandi methodo usi sunt, qui enumerati sunt ab Oppenheimio(1), sed non omnes eventum exoptatum habuere.

Mott(2) femoris, humeri et tibiae, Ducachet(3) et Delpech(4) radii, Stansfield(5) humeri, Brodie(6) femoris articulationem supernumerariam setaceo removerunt; Wardrop(7) autem in femoris articulatione supernumeraria setacei applicatione ameliorationem partialem, non sanationem vidit; aequalem eventum Hutchinson curatione humeri non conjuncti habuit. Roux et Begin setacei applicationem sine omni commodo esse cognoverunt; Fricke(8) sanationem incompletam illa operandi ratione in femore fracto effecit et Weinhold(9), qui articulationem supernumerariam colli femoris setaceo cuneiformi sanare voluit, aegrotum post sex hebdomades mori vidit, pure in cavum abdominis ingresso.

---

(1) Rusts Magazin Bd. XXVII., p. 247. sqq.

(2) New-York med. and. surgical Register. Vol. II., p. 374—79.

(3) American med. recorder. Vol. V., p. 513—14.

(4) Chirurgie clinique de Montpellier. Tom. I. 1823. p. 255.

(5) Med. chir. Transactions. Vol. VII., p. 103. et sqq.

(6) Med. chir. Transactions. Vol. V., p. 387.

(7) L. antea cit. p. 365.

(8) Rusts Magazin. Bd. XXVII., p. 283.

(9) Hufeland's Journal. Mai 1826. p. 38.

Quod attinet ad methodum ipsam, setaceo articulationem supernumerariam sanandi, vario modo exercita est; applicatio setacei autem fit duplici modo: ubi ob musculos crassos articulationis supernumerariae situs non accurate discerni potest, partes molles circum jacentes dissecantur; ubi vero in superficie animadvertitur, acus ad setacea per massam intermediam ossium uno ictu, ita ut vasorum et nervorum meatum evites, protruditur et setaceum e filis sericis ceratis pluribus paucioribusve constans, in vulnere relinquitur. Canalis artificialis directio ejusmodi esse debet, ut puri effluenti spatium sufficiens praebeatur. Optandum esset, setaceo inflammationem, modo suppuratione non sequente, effici; quum autem gradus inflammationis reunioni sufficiens cognosci non possit, setaceum usque ad suppurationem in vulnere relinquendum est, qua exorta, fila setaceum constituentia singula protrahuntur.

Weinhold, ab illa setacei adhibendi methodo dissentiens, quod causam operationis successu carentis in reactione nimis parca et aëris atmosphaerici effectu quaerit, setaceum cuneiforme trephina sua acuformi invexit. Ceterum et haec operandi methodus, ut jam antea dixi, eventum infaustum habuit.

Postea Reisinger (1) setaceo duplici e denis filis ceratis constante ad curandam arti-

(1) Baiersche Annalen.

culationem supernumerariam usus est. Setaceo inter fragmenta distracta invecto, fila divisit et in utramque partem subligavit, ferula supposita, quo partes molles circumjacentes a ligatura constrictae defenderentur, et tantum fragmentorum falsa junctura auferretur. Deinde ferulam, ut sanationem juvarent, apposuit. Ad evitandam setacei dividendi implicationem, qua effectus impediri posset, primo unum tantum setaceum induci et diebus aliquot praeterlapsis, postquam primum illud setaceum versus unam partem partes molles dissecuisset, alterum setaceum specilli ope per vulneris canalem trahi, Reisinger voluit.

Sed hac sola operandi ratione Reisinger successum exoptatum non consequutus est; cultello angusto substantiam interstitialem dissecari et ossium fragmenta extrema scarificari necesse fuit. Suppuratione in longum tempus durante, utraque apertura clausa est et eventus laetus fuit, quamquam Reisinger sanationem completam, quia aegrotus discedebat, non vidit.

Dubium successum et periculum omnium operandi methodorum, quas antea nominavi, evitare arbitratus, Sommé (1) triquetro cum tubulo extremum superius ossis fragmenti pertrusit et filum argenteum pertraxit, ita ut fili partes extremae laqueum inter se reliquerint. Cutem, laqueo circumclusam incidit, ut filum argenteum massam

---

(1) Sanson, Dictionnaire de médecine et de chirurgie pratiques, Articulation anormale.

intermediam fragmentorum ossis penetraret. Quatuordecim diebus post vulneris reunio facta erat et laqueo, priusquam partes molles circumclusas percideret, reducto, sub finem hebdomadis sextae Sommé fracturam consolidatam et articulationem supernumerariam normali membri longitudine sanatam invenit; tertio autem mense praeterlapso, membri functio in integrum restituta est.

Commemoratis tam variis operandi methodis summisque resultantibus eorum collatis, invenimus, quodque in certis casibus indicatum esse posse, sed unum saepe alteri anteferendum esse. Indicationes et pretium singularum operandi methodorum pro certis casibus accuratius enumerare conabor.

A. Exasperatio indicata est:

1) Si articulatio supernumeraria nondum completa est, itaque irritatio parva ad formandum bonum callum necessaria est.

2) Si fracturae extrema plana sunt et sibi respondent.

Cum hac operandi methodo maxime apte curatio palliativa supra dicta, applicatio apparatus Ballifii jungi potest, ut adjuvet hanc curationem radicalem.

B. Applicatio vesicatorii et caustici ad superficiem cutis tum tantum successum habere potest, si articulatio supernumeraria magis in superficie jacet, sicut apud tibiam, collum femoris, olecranon etc. et parva irritatio magis universalis est et magis ad os ipsum pertinet, e quo inflammatio oriri debet.

C. Arabum methodus. Scarificatio et rasura extremorum ossis fracti adhiberi potest:

1) Ubi extrema ossis cartilagine obducta et tam prope juncta erat, ut resectio sine majore partium mollium laesione fieri nequeat.

2) In fracturis obliquis, ubi ad vitandam abbreviationem membri coalitio lateralis efficienda est.

3) In ceteris casibus, in quibus resectio indicata est, ubi tamen sine abbreviatione mederi vis. —

Etiamsi in his casibus setaceum adhiberi potest, ego tamen, ubi magna inflammatione opus est, neque quidquam aliud hanc organismi laesionem vetat, quae sane major est, quam apud setaceum, scarificationem aut rasuram extremorum ossis fracti illi praetulerim et quum non magis dolorosa aut difficilior sit resectione, huic quoque, si abbreviatio membri non optatur. Quum instrumenta tam perfecta sint, quibus ad hoc efficiendum uti licet, et quum laesio partium mollium minor sit, quam apud resectionem, miror, hanc operandi methodum tam raro adhibitam esse; verba Avicennae: »melius esse sapienti vivere cum claudicatione, quam in talibus torturis mori,« illi tempori forsitan aptiora fuerint, quam nostro. Etiamsi chirurgiae historia, ab Arabum tempore usque ad nostram aetatem, exempla curationis articulationum supernumerariarum hac operandi methodo effectae non offert, in futurum tamen non deficiunt; nam ossium scarificationis et rasurae ossium efficacia Reisingeri me-

thodo probatur, qui, setaceo ad producendum callum frustra adhibito, scarificatis ossium extremis, articulationem supernumerariam sanavit.

D. Resectio indicata est, ubi substantia muscularis inter ossium fragmenta interposita, reliquae methodi adhiberi nequeunt.

Multi quidem auctores, Bell, Wardrop, Larrey resectionem omnino rejiciunt, etiam Jourdan, qui mortem semper sequelam ejus, ideoque amputationem praeferendam esse contendit; attamen sub conditionibus supra jam expositis, ut mea fert opinio, resectio maximi est momenti. Sanson in talibus tantum casibus eam permittit, in quibus situs articulationis supernumerariae inflammationem, pro re nata, continendam non prohibeat, aut ubi ossis fragmenta facile attingi possint. Talibus autem conditionibus facilius meliusque nos mederi posse Dieffenbachii operandi ratione, de qua postea copiosius disseram, satis probatur.

Resectione unius extremi ossis fracti, quam Dupuytren exercuit, rarissime concretio totalis effici posse mihi videtur, quippe quae post scarificationem utriusque ossis extremi saepe desideretur.

E. Caustici applicatio ad ossium fractorum extrema in cura radicali saepe nos illudit, aeque ac vesicatorium et causticum ad cutem admotum; nisi forte, scarificatione aut resectione praegressa, ad adjuvandam curam arcessitur, ubi exfoliatio non satis viget. In reliquis omnibus

operandi methodis incertum est remedium et in casu optimo palliativum.

F. Si pro numero casuum, in quibus in sanandis articulationibus supernumerariis efficax fuit, remedii dignitatem dijudicare volueris, in primum locum setaceum pones, sed in quibusdam tantum casibus peculiaribus hoc concedi potest. Quantum propter laesionem, quae organismo infertur resectione, huic praeferendum est, tantum est minus efficax in sanatione; praeterea semper, si setaceum frustra adhibitum erat, resectio ultimum fuit refugium, uti in iis casibus, ubi ossis fragmenta inter se nimium distant, aut in aetate aegroti provectiore, ubi setaceum reactionem sufficientem provocare nequit.

Indicatus est setacei usus:

1) in iis casibus, ubi irritatio minor quam scarificatione aut resectione effecta sufficiet, nempe in articulationibus supernumerariis haud inveteratis et

2) ubi resectio omnino est contraindicata.

Sanson (1) setaceum omnino rejiciens Sommii operandi methodum commendat; Weinhold, causam operationis successu carentis in reactione imbecilla et in effectu aëris atmosphaerici quaerens, setaceum cuneiforme applicavit, et Oppenheim, de Weinholdii operandi methodi successu etiam dubitans, ut in ambo extrema ossis fracti eodem tempore efficacius agatur, per utrumque extremum setaceum duci jubet.

---

(1) l. c.

Sagacitati et ingenio celeberrimi Dieffenbach, cui jam permulta chirurgia debet, novissimo tempore contigit, ut operandi methodum exsequamur, quae omnium postulationibus respondet et spem nobis praebet sine magnis difficultatibus curari malum, quod persaepe antea chirurgorum opera frustravit.

Ottilia Weinbeer, Custrinensis, XI annos nata, aestate an. MDCCCXLI crus lapsu fregit, quod ex partu curvatum remanserat. Quum fractura sanata sub finem mensis Decembris ejusdem anni crus denuo fregisset, in parte ejus inferiore articulatio supernumeraria duplex formata est, functione membri omnino turbata mense Novemb. anni MDCCCXLI Berolinum petiit ad accipiendum auxilium Dieffenbachii. Hic, tendine Achillis, qui contractione pedem intrinsecus curvaverat, die XXIX. mens. Novembris perciso, hoc modo cruris curvationem valde diminuit et octo diebus post operationem ipsam articulationis supernumerariae in clinico chirurgico fecit.

Pluribus incisionibus subcutaneis tenotomo in tegumenta articulationis supernumerariae factis, simplici ossium perforatorio (terebra), quod apparatui Civiali ad lithotripsiam imposuerat, in multis directionibus ossium extrema et massam interstitialem perforavit et membrum saepius flectens, curvaturam ejus magis magisque sublevare tentavit. Utraque articulatione supernumeraria hoc modo tractata, ligaturis laneis ferulisque membrum constrictum est. Reactio parca fuit,

neque aegrota dolores habuit. Vincturam die XXII. mens. Decembris firmius obligatam, nonnullis hebdomadibus post mutari necesse erat, quia ferularum extrema decubitum effecerant. Ceterum die XXX. mens. Januarii vinctura glutenis farrati adhiberi potuit et mense Majo talem firmitatem membrum assecutum est, ut aegrota baculo nisa incederet. Sub finem mens. Julii quadratum ex vinctura eo loco, quo articulatio supernumeraria duplex sita erat, excisum est ad cognoscendam et tali modo firmitatem juncturae, quae nunc perfecta erat.

V I T A.

Fridericus Leopoldus Pape, evangelicae addictus confessioni, natus sum a. MDCCCXIX Lemgoviae, oppido Luppiaco, matre optima Dorothea, e gente Warthling, quam praematura morte mihi ereptam valde lugeo, patre Henrico, quem ut Numen propitium diu incolumem mihi servare velit, preces mitto quotidianas. Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasium, quod Lemgoviae rectore Brandes floret, frequentavi. — Testimonio maturitatis

instructus autumno anni MDCCCXXXVIII Gottingam me contuli ibique in civium academicorum numerum a Rectore magnifico Gieseler receptus, ab Ill. Conradi, t. t. decano spectatissimo, albo facultatis medicae inscriptus sum.

Per semestria quatuor hisce virorum illustrissimorum uti mihi licuit praelectionibus:

Ill. Langenbeck de osteologia et syndesmologia et de anatomia corporis humani, de myologia, de angiologia, de neurologia et de splanchnologia, porro de chirurgia et de ophthalmologia, quo eodem duce clinicum chirurgico-ophthalmiatricum frequentavi; Ill. Conradi de introductione in medicinam et de pathologia et therapia generali, Ill. Wöhler de chemia et de pharmacia, Ill. Berthold de physiologia, Cel. Bartling de botanice speciali, Cel. Fuchs de pathologia et de therapia speciali et de morbis cutaneis, Cel. Trefurt de arte obstetricia simul cum exercitationibus in phantomate et examinatorio, Exp. Kraus de materia medica generali, Exp. B. Langenbeck de

embryologia, Exp. Pauli de fasciis rite applicandis. Exp. Pauli, prosector, artem cadaverum rite dissecandorum me docuit.

Hieme anni MDCCCXL in universitatem litterarum Fridericam Guilelmam Berolinensem migravi, ibique a rectore magnifico Lichtenstein in civium academicorum numerum receptus, ab t. t. decano ordinis medici maxime spectabili Beat. Osann, in album inscriptus, per annos duos viros disserentes audivi hos:

Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali, Exp. Isensee de technice diagnostica, Ill. Horn de pathologia et therapia morborum animi, Beat. Osann de fontibus soteriis Germaniae, Exp. Mitscherlich de materia medica. Scholis clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis Cel. Truestedt, Ill. Juengken, Ill. Schoenlein, Ill. Busch, Ill. Dieffenbach, Cel. Romberg interfui. Ill. Busch operationes obstetricias, Cel. Angelstein operationes ophthalmiatricas privatissime me docuit.

Quibus omnibus viris, de me egregie meritis, gratias jam ago semperque habebo maximas.

Jam vero tentaminibus, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Ligatura in vasis magnis torsioni est anteponenda.
2. Sectio caesarea invita matre nunquam instituenda.
3. Formatio globulorum puris, nisi in inflammatione membranae internae vasorum, semper fit extra vasa.
4. Morbi psychici genuini non sunt.
5. Helminthiasis non est morbus, sed morbi symptoma.
6. Methodus antiphlogistica in syphilide curanda mercurii usum non exterminabit.